



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 29. Papæ querimoniæ de pugnis equestribus extra bellum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

cum quoque scribere jussit, qui solum ad Sæcul. XIII.  
patris sui epistolam se retulit, eique ad-  
hæsit. Suam dabat mense Septembri  
indictione octava an. 6788, seu an. 1279  
mense Septembri, unde Græci annum  
cum inductione inchoabant.

A.C. 1279.

§. XXIX.

*Papæ querimoniæ de pugnis equestri-  
bus extra bellum.*

Eodem anno delatum in Franciam Ca-  
rolum Salerni Principem Siciliæ Re-  
gis filium natu majorem, ac patruellem  
suum Rex Philippus audax cum Baroni-  
bus suis magno exceptit honore, &c, quas  
antea prohibuerat, pugnas equestres con-  
cessit in gratiam ejus ac fratri sui Ro-  
berti Comitis Claromontani, quem brevi  
abhinc tempore una cum pluribus aliis  
Equitem inauguraverat. Hæc certami-  
na instaurata minime probans Papa  
Nicolaus ad Cardinalem de S. Cæcilia  
suum in Gallia Legatum ita scripsit: In *Rayn. 1279.*  
dicasti nobis Gallorum Regem Baronum *n. 17.*  
rogatu revocasse nuper edictum ex eorum  
consilio factum, ut equestres pugnæ  
usque ad generalem transitum in Palæ-  
stinam omitterentur; & has pugnas te  
præsente promulgatas fuisse ac execu-  
ti datas contra sacræ Sedis inhibitionem  
sub anathematis poena. Dolemus autem

Duchesne  
t. 5. p. 573.

E 2      magno-

**Sæcul. XIII.** magnopere hunc Regem tam pii patris  
A.C. 1279. filium permittere, ut sibi subditi censuras ecclesiasticas ita contemnant: nec silentium ac negligentiam tuam excusare possumus. In tanto animarum periculo exardescere, minitari, pronunciare poenas, his majores addere debebas, nec contentus esse, quod, ut ais, hoc in decreto non consenseris.

Ferunt has pugnas esse exercitium utile, ac Ordinem Nobilium per eas discere ad tuendam religionem terramque sacram tractare arma. Sed antecessores nostri aliter judicabant, cum illas prohiberent nominatim in concilio Lateranensi, quod his in pugnis morientes sepulta ecclesiastica privat. Præterea ad Pastores, ac præcipue ad Papam, non ad subjectos pertinet videre, bonane an mala sint hæc exercitia. Quapropter volumus, ut ab Ecclesiæ corpore sejunctos palam denuncies cunctos Comites, Barones, Equites, aliosque certaminum horum participes; ut eos adhorteris ad flagitandam humiliter absolutionem, ac sic postulantibus eam impertias, injungens poenitentiam & cum jurejurando promissum eo non redeundi amplius. Talis est summa hujus epistolæ sane quam vehementis, quam Nicolaus dabat  
**Apr. an. 1279.**

*Conc. Lat.  
III. c. 20.  
Sup. lib. 73.  
§. 21.*

§. XXX.